



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs XI. De causa exemplari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

adducitur, poetice & improprie accipiendum est. Nec obstat, quod volucres futuram tempestatem infallibiliter declinent: siquidem id est, quia causa futuræ tempestatis, sicut ærem commouere, ac turbare possunt: ita & humores auium occultè mouere, & alterare possunt: humores autem ita alterati in iis apprehensionem excitant, qua fugam sibi commodam, & delectabilem apprehendunt; quare eam tempestatis insciæ capessunt. Porro quatenus volucres aut tempestatem declinent, aut futuram etiam serenitatem aucupentur, quin alterutrum præsentiant, solum ex eo quod illarum humores multis, mirisque modis præuie alterentur, non minus Philosophicè, quam poeticè explicuit Virgilius ubi supra Georgicor. I.

*Haud equidem credo: quia sit diuinitus illis
Ingenium: aut verum fato prudentia maior:
Verum ubi tempestas, & cæli mobilis humor
Mutauere vias: & Iupiter humidus austris
Densat erant qua rara modo, & qua densa res
laxat.*

*Vertuntur species animorum: pectora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
Concipiunt: hinc ille auium concentus in agris
Et lata pecudes, & onantes gutture corui.*



TRACTATUS XI.

De causa exemplari.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quoduplex sit exemplar?



ARISTOTELES de causa exemplari pauca egit, & ex professo non disputauit, eo quod illam ad aliquam quatuor causarum reuocandam esse supposuerit: qualis ergo sit causa, ad quam reductiuè pertinet, & in quo eius natura collocanda sit, hic accurate examinandum est. Exemplar Latinis id sonat, quod Grecis idæa: verbum autem idæa ab *eideō* siue inspicio deriuatum significat id, in quod inspiciens artifex operatur iuxta Aristotelem 1. Met. cap. 7. text. 32. quem D. Thomas 1. p. q. 15. & cum eo reliqui Theologi sequuntur. Exemplar, siue idæa in solis creaturis rationalibus locum habet; neque bellæ exemplaria, aut idæas vllas sibi proponunt, vt perperam contendit P. Rodericus disp. 8. Physic. sect. 8. n. 88. tum quia vt ex definitione idææ, siue exemplaris ab Aristotele tradita constat, idæa, siue exemplar locum habet in solis iis agentibus, quæ arte polent: at ars, quæ suapte natura practica est, in bellis non reperitur, vt constabit ex dicend. in Met. lib. 7. tractat 5. cum de notitia practica egerimus: tum quia teste D. Thoma quæst. 3. de verit. art. 1. exemplar, siue idæa est *forma, quam imitatur effectus ex intentione agentis determinantis sibi finem*. At sola agentia rationalia finem sibi determinant; & bellæ non tam se ad finem determinant, quam à primo agente ad eum determinantur: ergo sola agentia ratio-

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

nalìa, non verò irrationalia idæas, siue exemplaria sibi proponunt. Tum quia Clemens Alexandrinus libr. 4. Stromatum ex communi omnium sensu docet, *mentem esse locum idæarum*: at bellæ mente, & ratione destitutæ sunt. Tum demum, quia idæa passim à Patribus appellantur rationes rerum: at rationes rerum in irrationalibus locum habere non possunt. Porro autem ad idæam, siue exemplar propriè sumptum opus non est, vt illud liberè imitetur artifex, vt nonnulli parum scitè arbitrantur. Primò, quia siue definitionem exemplaris ab Aristotele traditam; siue eam, quam D. Thomas protulit; siue ea, quæ Patres communiter de idæis differunt, respiciamus, nulum fundamentum esse potest; vnde libertas idææ propriè sumptæ conditio esse colligi possit; gratis ergo ea conditio postulatur. Secundò, quia non est, cur Deus artificem creatum ad imitandum exemplar internum propriumque cogere, & necessitare non possit, sicut ad imitandum exemplar externum eiusmodi necessitas, & coactio proculdubio esse potest: igitur ad exemplar libertas non requiritur. Tertio quia idæa, aut est ars, aut certe cum arte coniuncta est, vt ex definitione idææ perspicuum est: at ad artem, siue notitiam practicam libertas non requiritur, vt in Met. cit. libr. 7. tractat. 5. edocebimus: cur ergo ad idæam siue exemplar ea requiratur?

Exemplar aliud est internum, aliud externum: utrumque indicauit Seneca epist. 66. ibi: *nihil autem refert, utrum foris habeat exemplar, ad quod referat oculos, an intus, quod ipse ibi concepit, & posuit*: de priori loquutus est Boëtius de consolatione. metro. 9.

*Tu cuncta superno ducis ab exemplo pulchrum
Pulcherrimus ipse mundum mente gerens.*

De posteriori intelligendum est illud Exod. 25. *inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*. Quanquam autem non pauci censeant, hanc diuisionem exemplaris propriam esse: ceterum cum P. Suarez disputatione 25. Metaphys. sect. 1. numero 18. probabilius est, eam esse impropriam, eo quod exemplar externum, quod visu percipitur; remotè improprie, & per accidens exemplar dici possit, remotè quidem, quia eatenus imago B. Mariæ à D. Luca depicta est exemplar ad aliam similem depingendam, quatenus imago illa ob oculos posita, & mente concepta excitat in mente, & regulat cognitionem imaginis, quæ depingenda est: imago verò depingenda prout ab intellectu cognita effectiōnem sui immediatè regulat, eiusque idæa, & ratio est, aut secundum esse cognitum, aut secundum esse reale, quod cognoscitur, vt cap. sequenti explicabitur: igitur exemplar externum non immediatè, sed mediatè, & remotè rationem exemplaris sibi vendicat: eo autem ipso, quod exemplar externum remotè tantum exemplar sit, solum improprie exemplar esse potest: sicut enim causa remota improprie tantum causa est, sic seruata proportione exemplar remotum improprie duntaxat exemplar est. Deinde exemplar externum per accidens tantum exemplar est; cum enim præcisè ratione interni, & proprii exemplaris, cui deseruit, ad effectiōnem operis conferat; quoties sine exemplari externo idæa

S 3 interna

interna operis perfectè haberi potest, vt non solum in artifice increato, verum etiam creato sapè accidit; toties certè sine exemplari externo opus artificiosè perfici potest: & ita per se exemplar externum ad executionem operis non requiritur.

CAPVT II.

Exemplar, siue causa exemplaris in quo consistat?

4. Prima sententia est, exemplar esse obiectum ipsum, quod artifex operaturus sibi proponit: ita Thomistæ communiter cum Caietano 1. p. qu. 16. art. 2. & Ferrara 1. contra Gent. cap. 54. & Egidio in 1. dist. 36. q. 5. ad 2. & Scotistæ cum Scoto in 1. dist. 35. quæst. 1. & Mairone ibidem, & Bassolo quæst. 2. art. 2. & Nominales cum Okamo quæst. 5. & Gabriel. quæst. 5. art. 2. Aliacensi in 1. quæst. 6. art. 3. eamque Durandus sequitur dist. 36. quæst. 3. Quanquam autem plerique Authores præfatam sententiam sequantur, vt ex iis, quos retulimus, constat: cæterum in assignando obiecto, quod rationem exemplaris sortitur, non parum diuisi sunt: siquidem Thomistæ idæam, siue causam exemplarem in Deo censent esse, non obiectum illud creatum, quod producendum est, sed obiectum increatum; nimirum diuinam essentiam, ad cuius imitationem, siue participationem producendum est. Scotistæ verò, & Nominales, & reliqui extra scholam Thomisticam, è contrario censent, idæam, siue causam exemplarem esse rem ipsam producendam non solum in creatis (quod etiam Thomistæ non renuunt) (verum etiam respectu Dei.

5. Secunda sententia est, exemplar, siue idæam esse cognitionem, quæ circa operis effectiorem, & modum illius efficiendi in intellectu artificis præexistit: ita Alexander Alensis 1. part. quæst. 23. memb. 4. art. 1. Bonau. in primo dist. 35. art. 1. q. 1. Capreolus in 1. dist. 36. quæst. 1. art. 1. Pater Suarez disp. 35. Metaphys. sect. 1. num. 10. Tertia sententia est Patrum Molinæ 1. p. quæst. 15. disp. 2. art. 2. & Vasquez 1. part. disp. 75. cap. 2. idæam, siue causam exemplarem in Deo esse solam cognitionem, qua opus in lucem producendum in mente diuina præexistit: in nobis verò esse obiectum à cognitione realiter distinctum, nec non ab opere ipso efficiendo, videlicet eiusmodi obiectum, ad cuius instar, & similitudinem res fieri possit; non tamen quod re ipsa ante operis effectiorem existat, sed tantum quod ab artifice creato confingitur: qua ratione architectus ædificaturus paruam quandam domum, sibi prius mente proponit. Quarta sententia est quorundam scholasticorum, qui idæam, siue causam exemplarem tam in Deo, quam in agentibus creatis censent esse verbum, siue speciem expressam operis efficiendi, quam in mente artificis cognitio eiusdem operis producit: quos Pater Molina vbi supra artic. 1. Commemorat suppressis nominibus. Quinta sententia, ab Aristotelicis Platoni assignata, est; idæam, siue causam exemplarem non esse cognitionem rei producendæ, nec esse rem ipsam producendam ab artifice præcognitam, nec esse diuinam essentiam, ad cuius similitudinem, & participationem res producenda est, nec

esse idolum aliquod commentitium ab artifice fictum; nec etiam verbum mentis, quod circa opus efficiendum artifex in mente sua producat, & exprimat; sed substantiam quandam insensibilem, incommutabilem, æternam increatam; pluribus indiuiduis specificè communem, & ab iis participabilem: in qua sententia Platonem fuisse inuinit Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromat. versus finem, ibi: *unum quidem mundum nouis barbaris philosophia, qui perficitur intelligentia; alterum verò sensibilem: illum quidem archetipum, hunc verò imaginem eius, qui exemplar dicitur.*

6. Quod ad vltimam sententiam attinet, ea fidei, & rationi apertè repugnat, vt in Dialectica lib. 8. ostendimus, vbi etiam Platonem ab ea alienum esse explicuimus. Quod verò ad quartam, & penultimam sententiam attinet, ea etiam proculdubio falsa est: quia si per impossibile Deus non esset trinus, neque verbum realiter produceret, aut exprimeret; sanè in eo euentu idæa in eo ponendæ essent: ergo idæa in verbo consistunt. Antecedens certissimum est, siquidem in eo euentu Deus quantumvis non trinus per intellectum, & voluntatem ageret, & res creatas tales produceret, quales eas ab æterno præcognouit, earumque rationes in mente haberet: igitur idæa rerum efficiendarum haberet, cum omne agens per intellectum, & voluntatem nihil agere queat, quin eius idæam, siue rationem, aut speciem habeat. Quod verò ad tres priores sententias attinet, eas solis vocibus dissidere arbitror, cum inter earum Authores constet, solam cognitionem rei efficiendæ eius effectiorem anteuertere, remque ipsam non nisi obiectiue, & secundum quid præexistere numero, aut specie antea quam producatur: quare totalis in id vnum reuocatur, quid exemplar nuncupari debeat, cognitione ipsa, an aliquod eius obiectum?

7. In quo dissidio ipse partim cum his, partim cum illis loquendum arbitror; & nomen idææ, siue causæ exemplaris æquiuocum esse, & conuenire propriè, ac strictè tam cognitioni, quæ in mente artificis residet, quàm obiecto, ad quod terminatur: quem sentiendi modum in hunc modum suadeo. Primò, quia causa finalistam de obiecto ratione sui cognito, & amato, quàm de ipsa cognitione, siue amore prout ab obiecto distinguitur, verè & propriè dicitur: ergo similiter idæa, siue causa exemplaris &c. Antecedens tractatu præcedenti probatum est. Consequentia videtur perspicua à paritate rationis, quæ eo maior est, quo causa exemplaris ad causam finalem præ reliquis causarum generibus reuocanda est. Secundo quia conceptus, alius est formalis, qui in actu mentis consistit; alius obiectiuus, qui in obiecto mentalis actus consistit: at eorum alter dicitur conceptus, quia id per illum concipimus alter vero quia est id quod concipimus: vt certè ex communi scholasticorum loquendi vsu perspicuum est: similiter ergo causa exemplaris, siue idæa, quæ cum conceptu coincidit, vel certè ab eo admodum non discrepat, interdum de actu intellectus, & interdum de eius obiecto dici poterit. Tertiò quia idæa, siue causa exemplaris omnium consensu est ratio operis efficiendi: at ratio, alia est formalis in actu intellectus sita, quo pacto Augustinus lib. 2. de ordin. eam definit esse *motionem mentis ad ea, quæ discernuntur connectenda, aut distinguenda*: alia obiectiua

esse in ratione cognita consistens: quo pacto communiter dici consuevit obiectum formale habere in se ratione, unde cognoscatur, aut ametur: ergo, &c. Demum quia Plato primus idæarum author teste Augustino lib. 83. quæstion. quæst. 46. & Aristotele, Ciccone, Seneca, & aliis; Plato, inquam idæam, siue causam exemplarum modò in actu mentis, modo vero in eius obiecto, siue in vtrius seorsim collocat: ita in phædone ibi: *idæa est Dei intelligentia, seu quod à mente diuina intelligitur*: quæ eius verba Clemens Alexandrin. lib. 5. Stromat. non longè ab initio commemorat.

8. Eundem sentiendi, & loquendi modum per partes suadeo; & in primis actum mentis, idæam siue causam exemplarem esse confitendo. Primò authoritate Patrum, qui apud P. Suarez vbi supra plerique eodem modo sentiunt, atque loquuntur: ex quibus modo sufficiant Dionysius, & Augustinus: ille cap. 5. de diuin. nominib. ibi: *exemplaria autem esse dicimus in Deo existentium rationes substantificas, & singulariter præexistentes, quas Theologia prædefinitiones vocat, & diuinas & bonas voluntates*: hic lib. octoginta trium quæstion. quæst. 46. ibi: *sunt namque idæe principales forme, quedam vel rationes rerum stabiles, atque incommutabiles, quæ ipsæ firmata non sunt; ac per hoc æterna, ac semper eodem modo se habentes, quæ in diuina intelligentia continentur*. Secundò ratione, quia exemplar est id, quod imitatur artifex, siue ad cuius instar, & similitudinem operatur: at huiusmodi est cognitio, qua artifex modum operis efficiendi præintelligit: ergo ea cognitio, exemplar, siue idæa est. Maior à nemine non conceditur. Minor probatur, quia artifex rem operatur, atque in lucem edit, sicut eam præcognoscit; aut, quod perinde est, rem talem producit, qualem eam cognouit: at particula *sicut*, & particula *qualem*, ac talem imitationem quandam, siue similitudinem operis cum eius cognitione denotat: ergo, &c. Aut aliter artifex rem operatur, prout ei per cognitionem representatur: at representatio est similitudo, & imitatio quædam intentionalis obiecti: ergo ad similitudinem, & imitationem cognitionis rem cognitam operatur.

9. Deinde rem ipsam cognitam rationem exemplaris, siue idææ sortiri facile suaderi potest. Primò authoritate Augustini lib. octoginta trium quæstion. quæst. 26. vbi postquam idæas rationes rerum agendarum esse explicat, addit ibi: *quo constituto atque concesso, quis audeat dicere, Deum irrationaliter omnia condidisse? quod si rectè dici, & credi non potest; restat, ut omnia ratione sint condita; nec eadem ratione homo, qua equus: hoc enim absurdum est existimare: singula igitur propriis sunt creata rationibus*. Quibus verbis idæas, siue rationes, quibus Deus creaturas condidit, plures, atque inter se distinctas esse affirmat: quod vt propriè, & cum rigore intelligatur, oportet Augustinum idæas collocasse non in actibus diuini intellectus propriè, & cum rigore inter se distincti pluresve non sunt, sed eorum obiectis, quæ realiter, & propriè distinguuntur, ac plura sunt. Secundò quia exemplar, siue idæa appellari potest, id in quod inspicitur artifex operatur, teste Aristotele 1. Metaphys. cap. 7. text. 32. aut, quod perinde est, id in quod artifex operaturus inspicit. At artifex creatus operaturus non in suam cognitionem inspicit, sed in opus, quod operaturus est: & quamuis artifex increatus in suam etiam cognitionem inspicit, id tamen euenit ob infinitatem diuinæ scientiæ, quæ supra se necessario reflectit, non vero quia per se ad operandum necessarium sit: igitur exemplar in hac acceptione soli obiecto conuenit. Aut paulo aliter exemplar est id, ad cuius imitationem, & similitudinem artifex operatur: at huiusmodi est obiectum, quod artifex operaturus sibi proponit: ergo, &c. Maior indubitata est. Minor probatur, quia qualis est res cognita ab artifice, talis ab eo producit: igitur ad similitudinem, & imitationem rei cognitæ artifex operatur, cum vti supra explicuimus, particula illæ *talitatis*, & *qualitatis* inter ea, ad quæ referuntur, & supra quæ appellantur similitudinem, & imitationem denotent. Ex quibus efficitur, notionem idææ, siue exemplaris non vnam esse prout communiter dici, & existimari consuevit, sed duplicem, & vtramque propriam, & rigorosam.

C A T III.

Argumenta contraria soluntur.

10. Q Vorum pleraque nostram sententiam quoad vnam, aut alteram eius partem confirmant: quæ vero eam quoad eius vtramque partem oppugnant, aliorumque sententiis fauent, in præsentia dissoluenda sunt. Obiiciet ergo primò contra priorem nostræ sententiæ partem: idæa, siue exemplar in Deo nequit esse diuina cognitio: ergo à fortiori nec in artifice creato. Consequentia perspicua est. Antecedens probatur, quia si idæa diuinæ mentis esset cognitio Dei, idæa diuinæ mentis in ratione idææ imperfecta esset. Consequens est absurdum: ergo, &c. Maior probatur, quia idæa est id, ad cuius similitudinem opus exprimitur: quare cum similitudo inter opus, & eius idæam imperfecta est, idæa in ratione idææ imperfecta non esse non poterit: at vbi idæa diuinæ mentis in cognitione sita sit similitudo inter idæam illam, & opus necessario imperfecta erit: igitur idæa illa in ratione idææ imperfecta etiam erit. Minor perspicua est, quia similitudo inter cognitionem, & eius obiectum intentionalis, metaphorica, atque adeo imperfecta est: igitur, vbi idæa diuinæ mentis in eius cognitione consistat, similitudo inter idæam diuinam, & obiectum idæatum imperfecta erit. Obiiciet secundò, cognitio, & amor finis nequam finis appellari possunt, esto causa finalis, aut virtus causatiua finis à nonnullis appellentur; solumque obiectum cognitum, & amatum propter se finis nuncupatur: igitur etiam exemplar, non cognitio, sed eius obiectum nuncupandum est. Antecedens ex definitione finis perspicuum est. Consequentia etiam sine discrimine videtur, cum finis, & exemplar affinita valde sint, & dirigendi, ac mouendi munus sibi vendicent. Reliqua argumenta, quæ communiter adduci solent, omitto: eo quod non tam cognitionem à ratione exemplaris excludant, quam obiectum, etiam exemplar appellandum suadeant: quod nos vltro fatemur.

Ad primum respondeo, vt idæa aliqua in ratione idææ omnino perfecta sit, satis est, vt inter
S 4 eam.

eam, & eius obiectum, siue idæarum similitudo intentionalis omnino perfecta sit: cum ergo inter diuinam cognitionem, & eius obiectum similitudo intentionalis omnino perfecta sit; eo quod Deus eo modo cognoscat, & repræsentet sibi rem, quo res ipsa à Deo producenda est; eoque modo ab eo producat, quo ab eius cognitione repræsentata est; sanè idæa diuinæ mentis omnino perfecta erit; idæa verò creatæ mentis haud semper omnino perfecta est, cum inter illam, & eius obiectum similitudo intentionalis omnino perfecta non intercedat; & artifex creatus nunquam perfectè cognoscere possit rem eo omnino modo, quo extrinseca est, & quoad omnia eius prædicata; & sæpè sapius res aliter existat, quàm ab eo est intenta, cognitaue. Quod autem similitudo intentionalis improprie, & analogice similitudo sit, non obstat, quominus idæa illam concernens in ratione idææ perfecta sit: sicut veritas in similitudine, & conformitate quadam intentionali consistit, quoniam obiectum existit, si cut per actum repræsentatur: & tamen, quamuis hæc similitudo, & conformitas analogica sit & impropria, & non qualis inter hominem, & hominem, aut animal, & animal intercedit; adhuc veritas eam concernens in ratione veritatis perfecta, & consummata esse potest. Ad secundum respondeo: ea, quæ cap. præterito adducta sunt, duplicem illam rationem exemplaris, quarum altera in actu, altera in obiecto relucet, verè & propriè admitti posse, ac debere conuincunt: cæterum nihil est, quod cogat, duplicem rationem finis; alteram in cognitione, & amore, alteram in obiecto ipso cognito sitam admitti debere, vt constet ex iis, quæ tract. superiori disseruimus: quare à fine ad exemplar, quoad præsens attinet, perperam arguitur.

Obiicies contra posteriorem nostræ sententiæ partem. Primò quia idæa diuinæ mentis in obiecto cognito nequitiam consistere potest: ergo nec idæa creatæ mentis. Antecedens probatur, quia si quod obiectum à Deo cognitum esset idæa diuinæ mentis, maximè obiectum formale, & primum diuinæ cognitionis, siue id, quod formaliter, & necessario cognoscit, vt ad eius similitudinem creaturas producat: qua ratione obiectum etiam formale, & primum cognitionis creatæ est idæa artificis creati: at obiectum formale, & primum diuinæ cognitionis non est idæa diuinæ mentis: ergo &c. Minor probatur, quia obiectum formale, & primum cuiusvis cognitionis diuinæ est essentia diuina, in qua sola creaturas cognoscere potest: at essentia diuina, idæa creaturarum producendarum esse nequit, (quantumuis cum Caietano, & Ferrara vbi supra Thomistæ communiter oppositum sentiant) ergo &c. Minor suadet: tum quia aliàs idæa increati artificis creaturis producendis imperfectè similis esset: atque adeo in ratione idææ, quæ similitudinem concernit, imperfecta esset, cum essentia Dei non nisi imperfectè à creaturis participetur. Tum quia idæa creaturarum in Deo est illud obiectum, quo cognito, & sublato quouis alio, Deus creaturas producere posset: at si per impossibile Deus solam suam essentiam cognosceret, & in ea creaturas non cognosceret, creaturas producere nequirit: igitur essentia Dei prout ab eo cognoscitur, idæa esse non potest.

Obiicies secundò cum aliis: si quod obiectum est idæa, maximè opus efficiendum ab artifice præcognitum, antea quam fiat: at opus efficiendum sui exemplar, siue idæa esse nequit: ergo &c. Maior perspicua est, quia si quod obiectum est idæa operis, maximè illud quo cognito, & sublato quouis alio, opus ab artifice exprimi, seu produci potest: huiusmodi autem est opus ipsum ab artifice præcognitum, vt intuitu constabit. Minor verò probatur, tum quia exemplar, & imago ab eo deducta verè similia esse debent: at opus efficiendum sibi ipsi verè simile esse nequit, cum vera, & realis similitudo omnium consensu extrema realiter distincta postulet: igitur opus efficiendum sui ipsius exemplar, aut idæa esse non potest. Tum quia exemplar est vera causa eius, cuius exemplar est: haud secus ac finis vera causa est: at opus efficiendum sui ipsius vera causa esse nequit, cum à se ipso verè & realiter distingui nequeat. Tum demum, quia exemplar, & idæa est obiectum formale, & primum cognitionis præuix, qua artifex ad operandum dirigitur, siue id, in quo formaliter, & primario artifex modum efficiendi operis, siue opus efficiendum præcognoscit, si quod obiectum rationem idææ, & exemplaris sibi vendicat: at obiectum formale, & primum diuinæ cognitionis nequit esse opus efficiendum, vt innuit Augustinus lib. octoginta trium quaest. quaest. 46. de idæis conuersi, ibi: *non enim extra se possumus quicquam intuebatur, vt secundum id constitueret, quod constituerebat: hoc enim opinari sacrilegum esset*: igitur idæa saltem diuinæ mentis opus efficiendum esse non potest. Et quidem, cum artifex scientiam operis ab exemplari hauriat, & in ea scientia ab exemplari dependeat, ægrè intelligi potest, qua ratione opus efficiendum respectu Dei exemplar esse possit, cum ab eo scientiam haurire, aut ad sciendum dependere nequeat.

Ad primum respondeo: in primis non est, cur diuina essentia sit idæa operis efficiendi, & non magis ipsum opus efficiendum à Deo præcognitum: quod autem opus efficiendum non sit obiectum formale diuinæ cognitionis, eam à ratione idææ, & exemplaris nequitiam excludere potest: vel quia non est, cur idæa operis sit obiectum formale cognitionis, qua artifex ad operandum dirigitur, & non potius ipsum opus efficiendum, quod prout præcognoscit, semetipsum regular: vel quia idæa in Deo ad summum debet esse obiectum formale terminatum cognitionis, qua ad operandum dirigitur: at ipsum opus efficiendum eiusmodi cognitionis diuinæ obiectum formale terminatum esse potest, esto diuina essentia eius obiectum formale motuum, & primum sit. Deinde dici etiam potest, diuinam essentiam esse idæam operis efficiendi, vbi semel in ea creatura cognoscantur. Ad priorem rationem contrariam: sicut ipsa cognitio Dei in ratione idææ perfecta est, esto similitudo inter illam, & opus intentionalis, metaphorica, ac proinde imperfecta sit: ita etiam diuina essentia in ratione idææ perfecta esse potest, quantumuis opus eam perfectè non imitetur, eivè perfectè non assimiletur: sufficit ergo ad hoc, vt diuina essentia perfecta idæa sit, vt intentionaliter, & in aliquo genere, siue secundum quid operi assimiletur: aut, quod perinde est, vt opus productum

ductum imitetur diuinam essentiam, quantum Deus illud eam imitari posse spectata eius natura præcognouit, aut eam imitari decreuit: at opus à Deo productum. Angelus v.g. assimilatur diuinæ essentiae, quantum Deus eum assimilari posse inspecta eius natura præcognouit, & quantum voluit: igitur ea similitudo, & imitatio intentionaliter, & in aliquo genere summa est: quod ad perfectionem diuinæ ideæ sufficit. Ad posteriorem rationem oppositam respondeo, maiorem esse veram, si intelligatur, ideam operis esse illud obiectum, quo cognito, & præciso quouis alio, quod in illo, & ex illo non cognoscatur, opus ab artifice produci potest: secus vero si sensus sit, ideam esse id, quo cognito, & sublato per impossibile quouis alio obiecto, quod in illo cognoscatur, & à quo tanquam à termino cognitio modi operandi dependeat; nihilominus effici potest opus atque executioni mandari. Minor autem solum vera est in hypothese impossibili, in qua quidem sumpta maior falsa est: vnde cum maior, & minor cum iisdem terminis sumptæ & in eodem sensu cum proportionem acceptæ simul veræ non sint, sed altera vera, altera falsa; sanè ex iis nihil concludi potest.

5. Ad secundum argumentum respondeo, opus efficiendum ab artifice saltem creato præcognitum idea non esse nequit, cum artifice creato aliud obiectum, quod exemplar sit, assignari nequeat; eo quod non perinde ac Deus arte facta in sua essentia, modumve ea operandi conspiciere possit. Ad priorem rationem contrariam: opus sibi ipsi prout cognito, siue in concreto cum cognitione vere, & realiter simile esse potest; eo quod à se ipso prout cognito, aut cum cognitione sumpto realiter inadæquate distinguitur; eaque distinctio ad veram similitudinem sufficiens sit: & hac ratione dicitur, opus tale productum esse, quale ab artifice præcognitum fuit: vnde opus in concreto cum cognitione, & simul cum illa sui ipsius exemplar, & idea esse potest. Aut dic, opus efficiendum in individuo ab artifice, non cognitioni sed in specie, aut genere, siue in confuso cum aliis artefactis sibi similibus: vnde idea operis efficiendi erit non hoc opus in particulari, sed ratio communis ab eo, & aliis similibus abstracta, quam complures idolum imaginarium operis nuncupant: cum ergo eiusmodi ratio communis realiter inadæquate distinguitur ab opere, ei realiter & vere similis esse potest, prout ad rationem exemplaris oportet.

16. Ad sequentem rationem eadem ratione dicendum est, distinctionem realem inadæquatam, quæ inter exemplar obiectuum, & eius imaginem intercedit, sufficere ad hoc, vt eius vera, & realis causa sit: quantumvis inde fiat, exemplar quodammodo sui ipsius veram causam esse, haud aliter ac sui ipsius exemplar est. Aut dicit, exemplar obiectuum per se loquendo in ipso opere efficiendo in individuo sumpto consistere, sui que ipsius omnino causam exemplarem esse posse, eo quod causa exemplaris prout in obiecto consistit, vera & stricta causa non sit: sicut & causa finalis non quæ in cognitione, & amore, sed quæ in ipso obiecto cognito, & amato sita est, vera & propria causa non est. Ad postremam rationem, opus efficiendum est obiectum formale terminatum cognitionis, qua artifex increatus ad ope-

randum dirigitur. Augustinus autem in contrarium adductus tantum negat, Deum aliquid extra se ab æterno physice existens sibi imitandum proponere; secus vero aliquid extra se obiectiuè, & in esse cognito existens; quod respectu diuinæ cognitionis obiectum formale terminatum sit: hæc autem ratio obiecti formalis in opere efficiendo reperta satis est, vt idea esse possit; imò etsi nullo modo obiectum formale appelletur, ideæ rationem fortiri poterit: quorum alterum; & alterum supra explicuimus. Quod vero opponitur, artificem scientiam sumere, & ad sciendum dependere ab exemplari, non est, cur vniuersum verum; esse debeat: quare, quauis Deus scientiam ab obiecto creato non hauriat, ab eo que ad sciendum propriè non dependeat, obiectum tamen diuinæ cognitionis exemplar, & idea obiectiua esse poterit.

CAPVT IV.

An causa exemplaris vera causa sit, & ad quam ex quatuor generibus causarum reuocanda est?

17. Exemplar formale in cognitione artificis situm, verè & propriè causam esse perspicuum est ex iis, quæ de fine tract. præced. disseruimus, vbi causam finalem in cognitione, & amore obiecti propter se sitam verè causam esse statuimus; eo quod ad effectum verè, & propriè moueat, & dirigat: ea autem motio, & directio, causæ exemplari, prout consistit, aut omnino, aut ex parte in cognitione artificis, verè & propriè conuenit. Quod si de exemplari obiectiuo sermo sit, illud, prout distinguitur à cognitione cui obicitur, propriè causam non esse cap. præcedenti ad finem statuimus: quod idem de fine seruata proportionem dicendum est. Porro inter Authores maiori contentione, quam vtilitate decertatur, ad quam causam ex quatuor communiter receptis exemplar formale reuocandum sit: Caietanus quæst. 6. art. 3. & quæst. 44. art. 3. Argentinas in 1. dist. 45. art. 2. Fonseca 9. Metaphys. cap. 2. q. 4. Egidius de Eucharist. prop. 37. Conimbricenses, & alij existimant, exemplar ad causam formalem reuocandum esse esse. Verum immerito in primis, quia causa formalis concurrat intrinsecè constituendo: at causa exemplaris non concurrat intrinsecè constituendo, sed potius extrinsecè regulando opus: ergo non est, cur altera ad alteram reuocetur. Secundò quia eadem ratione finis ad causam formalem reuocari posset, atque deberet: sicut enim causa exemplaris dat esse, & speciem effectui, quod proprium formæ videtur: sicut, inquam, exemplar hac ratione esse, & speciem effectui tribuit; ita etiam finis seruata proportionem esse, & speciem effectui tribuit cum ad effectum moueat; & quod hic specie effectus potius quam alius existat, à diuersitate finis proficiscatur: quæ ergo vtriusque disparitatis ratio est?

Alexander Alensis 1. part. quæst. 23. Bonau. in 3. distinct. 11. art. 1. quæst. 3. Scotus in 1. dist. 2. q. 2. Heruæus quæst. 1. Suarez disp. 25. Metaphys. sect. 2. num 8. censent, causam exemplarem ad efficientem reduci posse, & debere; eo quod per exemplar,

17.

18.

exemplar, & ideam operis causa efficiens ad eius effectum disponatur. Contra tamen quia eadem ratione causa finalis ad efficientem reuocari deberet: siquidem per finem sibi praestitutum causa efficiens ad effectum operis disponitur, & intentionaliter applicatur. Dices cum P. Suarez supra num. 14. finem supponere causam efficientem proximè aptam operari, eique sic constitutæ superuenire ad hoc, vt eam ad agendum moueat; vnde ad causam efficientem reuocari non posse. Cæterum exemplar constituit formaliter causam efficientem proximè expeditam, & aptam ad operandum, eique ita constitutæ nequitiam superuenire: quare ad eum reuocari posse. Contra tamen, quia etiam causa finalis non supponit causam efficientem proximè aptam, & expeditam ad operandum, sed potius eam ad operandum formalissimè expedit; & vt ita loquar, adaptat: siquidem cognitio finis ad primum eius amorem iuxta Patrem Suarez in genere causæ finalis concurrens voluntatem constituit proximè aptam, & expeditam ad efficientiam amoris: & id seruata proportionē dicendum est de amore finis comparatione electionis mediōrum, & de electione comparatione executionis eorundem.

19.

Quamobrem causam exemplarē ad finalem reuocandam esse probabilius arbitror: tum quia causa materialis, & formalis cōcurrunt intrinsicè cōstituendo, aut per modum subiecti, aut per modum formæ: causa efficiens efficiēdo; causa vero finalis nec constituendo, nec efficiendo, sed dirigendo, & mouendo absque effectione, aut constitutione: at hac ratione causa exemplaris concurrat: ergo nec in genere causæ materialis, nec formalis, nec efficientis, sed in genere causæ finalis concurrat: atque adeo ad causam finalem reuocanda est. Deinde, quia hac ratione dispositiones ad agendum, & conditiones sine quibus non ad causam finalem reuocantur, vt tract. 1. ostendimus: ergo etiam causā exemplaris ad eam reuocanda est. Præterea, quia sicut finis causat intentionaliter per voluntatem, ita exemplar per intellectum: & sicut finis

in intentione est prior seipso in executione, ita etiam exemplar in cognitione est prior se ipso in executione. In super, quia exemplar eatenus sortitur rationem causæ, quatenus media cognitione sui dirigit ad executionem alicuius finis, idque ipsum quod prout cognitum est exemplar, prout intentum est finis: quā ratione D. Thomas supra citatus definit, *exemplar esse formam, quam imitatur artifex ex intentione agentis determinantis sibi finem*: igitur exemplar ad causam finalem reuocari debet. Denique quia in tantum agens dicitur finis sui effectus, in quantum effectus reddit in similitudinem agentis. At etiam in tantum aliquid dicitur exemplar alicuius effectus, in quantum effectus ad similitudinem, & imitationem exemplaris producendus est: igitur ob hanc analogiam exemplar ad causam finalem est reuocandum.

Non me latet Henricū Gandauensem quodlib. 9. q. 2. & alios, quintum & nouum genus causæ asserere, nimirum causam formalem, extrinsecam seu formam extrinsecam rei, cui esse speciem quædat; & in hoc genere causæ exemplar concurrere, & causare. Verum in primis contra quosdam Platonicos quintum genus causæ, videlicet ideas asserentes Aristotelica opinio quatuor tantum causas enumerans in scholis iam inualuit: quare hæc Henrici sententia ad Platoniorum quorundam proximè accedens, reicienda est. Deinde, sicut causa exemplaris, sic etiam finalis ad causam illam formalem extrinsecam reuocari deberet: sicut enim cognitio artificiosa per modum ideæ concurrens, est forma quædam operi extrinseca, & artificii intrinseca: sic etiam intentio finis in genere causæ finalis concurrens est forma quædam extrinseca ei, quod fit propter finem, & intrinseca ei, qui propter finem operatur: cur ergo causa exemplaris magis, quàm finalis, causa formalis extrinseca esse, aut appellari debeat?